



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Henōtikon siue Pacificatorivm Dissecti Belgii**

**Afhakker, Aegidius**

**Vrsellis, 1618**

Prooemivm Ad Lectorem Ab Ecclesia Catholica alienum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64709)

PROEMIVM  
AD LECTOREM  
AB ECCLESIA CA-  
tholica alienum



**Q**UIS QVIS es, Le-  
ctor, qui à Catholi-  
cæ unitatis certitu-  
dine separatus, in-  
ter multiplices hu-  
ius aui nostri sectas  
& heresias vel  
certæ alicuius opi-  
nionis, siue Remonstrantium ea sit siue Con-  
tra-Remonstrantium, siue cuiuslibet ex alijs  
partes tibi iam sectandas delegisti: vel de  
omnibus suspensus ac dubius, ubinam soli-  
dam reperire veritatem possis oculis & am-  
biguis & anxijis etiamnum circumspicias;  
paucis hic in libelli huius limine de ratio-  
ne instituti nostri, de q̄ ea quam in te requi-  
ro iudicij rectitudine monendum te esse  
censeo.

Ad me quidem quod attinet; nouit is  
quem nullum latet secretum Deus, nullo me  
aut maleuolentiæ affectu aut irrogandæ cu-  
ipiam mortalium contumeliæ cupiditate

## AD LECTOREM.

ad huius materie tractationem animum  
 adieciſſe; ſed cum ne in mentem quidem mi-  
 hi aliquid ſuper hac re antea veniſſet, ut  
 laborem hunc ſuſciperem haud ita pridem  
 eorum auctoritate ſtexiſſe, quibus id pro  
 ſalute tua tuorumq; ſodalium à me peten-  
 tibus denegare nō valui. Deinceps vero me  
 perlustratis iſs libris, quos hunc in finem co-  
 tiles vel penes me habebam vel nanciſci  
 commodè poterā, ea annotare ſolum ſtudi-  
 iſſe, quæ ſaluti & quieti publicæ profutura  
 mihi videbantur. Quantum ergo ex iſs  
 quos habui libris fieri potuit, Belgij (in quo  
 mihi & natiuitatis primæq; educationis &  
 humanioris literaturæ principium largiri  
 Deus voluit) eam quæ toti nunc penè mudo,  
 vulgante famā, innotuit, miſeriam paucis  
 tibi Lector ob oculos collocare ſtudui, ut ipſe  
 conſpectā tam periculoſi vulneris plagas, vi-  
 ſis item pharmacis & remedijs quibus ea  
 curari non valuit, vel tu ipſe emplaſtrum  
 nouum ſanando vulnere nouus Aeſculapius  
 admoueas; vel ſi tantum de artis tuæ effica-  
 cia ſperare non valeas, id quod à me iuxta  
 Dei Medicorum omnium principis ordina-  
 tionem porrigetur tibi malagma nuidius  
 arripas: Videlicet certam & ſolidam co-  
 gnoſcens

PROOEMIUM.

gnosceda veritatis, confirmanda vera fi-  
dei & pacanda conscientia viam regiam;  
beneficium à multis iam dudum expetitum,  
multorum votis exoptatum & hæcenus à  
diuersis inter tuos frustratentatum.

Istud verò ante omnia scire te & obser-  
uare cupio, non esse hoc remedium in com-  
muni omnibus, sed ex omnibus, singulis, id  
est in particulari cui libet à me destinatum.  
Non, inquam, est huiusmodi quod in compiti-  
tis & triuijs, in curribus, & nauibus per  
omnium indifferenter ora hominum voli-  
tare, disputationibusq; & rixis hominibus  
obtrudi inuitis debeat. Sed simile admodum  
est illi de quo dixit Iesus Sirach. cap. 38. 25.  
Sapientia scribæ in tempore vacuitatis,  
& qui minoratur actu, sapientiam  
percipiet. Ita enim existimo; unumquëq;  
si penes se animi perturbationibus (quæ in  
multorum congressibus, colloquijs & dispu-  
tationibus exurgere plerumq; & mentem  
solent obnubilare) quantum fieri potest se-  
datis & compositis, in secreto cordis sui cu-  
biculo rationes quas attulero, quid valeant  
serenus expèderit, facile viam quam mon-  
strauero, reuera esse regiam & ab omni se-  
ductionis periculo liberrimam probaturum  
esse

## AD LECTOREM.

esse: atque adeo eum qui non ita prava voluntatis dispositione corruptus fuerit, ut videat meliora probetque, deteriora tamen sequatur, ad eam quam desiderat veritatis cognitionem, quietemque conscientia non difficulter peruenturum. Atque hac eadem est causa cur hunc libellum primo non vernaculo; sed Latino idiomate in lucem prodire volui. Vt enim rudis & imperita multitudo ijs solet seruire commodissime oratoribus, qui sobidis rationibus destituti, ad commouendas passiones & impete caeco concitandos animos gestium phrasiumque lenocinijs belle sunt instructi, ita liberalior & honestis literis exercitata mens rationibus duci potius quam pelli affectibus plerumque desiderat. Plerumque, inquam, Docet enim quotidiana experientia nonnullos etiam reperiri, qui licet Doctorum Magistrorumque gerant nomen, ita tamen siue prava quoad mores institutione siue alia qualibet ex causa animis sunt duri & intractabiles ut artibus ingenuis non modo emolliiri nihil possint; sed ijsdē etiam utcumque sibi comparatis ad turbas maiores concitandas velut instrumentis abuti soleant: Apud hos scior rationes meas minus  
etiam

PROOEMIUM

etiam quam apud rudem plebeculam locū  
reperituras, praesertim ubi praecipuam mise-  
riarum & tumultuū, quibus patria nostra  
submergitur causam ad se tanquam ad fon-  
tes primosq; motores à me derivari conspe-  
xerint. Verū quid consilij contra male-  
volos? Eant (inquit in diebus carnis sua  
de Pharisaeis Dominus) caeci sunt & du-  
ces caecorum. Agant ergo illi quantum  
& quādiu ipsis à Domino permittitur.

Nobis ad eos (quos non paucos fore spera-  
mus) est sermo, qui vel ex sola veritatis i-  
gnorantia deviantes, vel falsitate sub veri-  
specie occultata decepti, conscientiam non-  
dum abiecerunt qui de rebus ad salutem a-  
ternam pertinentibus iudicium laturi, re-  
formationis tribunal cum Dei adiutorio po-  
terunt conscendere, & quantum sibi vel à  
natura vel à Dei gratia concessum fuerit  
luminis, ad veritatis indagacionem prudē-  
ter intendere, qui demum agnitam verita-  
tem non impiè blasphemare, sed humiliter  
desiderant venerari.

Inter hos ergo si tu Lector, unus fueris,  
non feres opinor aegrè conatum hunc nostrū  
ex tui tuorumque similibus amore genera-  
tum. Scio; non facile amorem erga te no-  
strum

AD LECTOREM.

strum ut credas persuaderi poteris. Quid enim non falsum, non fucatum & mendax ab ijs sperare valeas, quos indies mortaliū omnium flagitiosissimos idololatrias, meretricis Babylonica fornicarios, cōmilitones Antichristi veneficos, contentiosus clamoribus vocitari, libellis picturisque quam fieri potest odiosissime confictis, applausu publico, nullo contradicente, traduci percipis? imo quos encomijs istis dignos esse iam ipse fortassis firmiter penes te statuisti? Scio item habere te iā de falsitate doctrinae Catholicae conceptum altè praiudicium. Has si de nobis opiniones ex ignorantia potius aut errore, quam bonarum rationum cōtemptu conceperis, nihil moror, praiudicium sit vel maximum. Vnum hoc mihi modo, imo verò tibi met ipsi dona, ut veritatis examinanda gratia, recta ratione iudice, ad libelli telectionem accingas. Hoc si praestiteris, ecce fucum tibi non faciam, non fraudibus, non cuniculis animum tuum ut expugnem, aggrediar: Si re ipsa me tibi amicum non proba- uero, nolo me diligas. Amicitia si candore caret, nulla est. Ecce ergo, vno verbo totius tractatus scopum tibi explico: Romanum Pontificem ut infallibilem cōtrouersiarum  
fidei

AD LECTOREM.

fidei iudicem agnoscas, molior. Quid ais?  
 Inhorruisti credo, audito solo Romani Pon-  
 tificis nomine. Quid ergo? Quid de Paulo  
 V. moderno Pontifice quid aestimas? Num  
 verè Cerberum credis tricipitem, aut na-  
 tam generatione naturali septem distincta  
 capitibus bestiam? Numquid similis nobis  
 est homo rationis particeps, creatus ad Dei  
 imaginem, capax aeternae tecum beatitudi-  
 nis? Nunquid etiam similis nobis est homo  
 natus de muliere, breui viuens tempore, re-  
 pletus multis miseris? Nunquid & tecum  
 & mecum manifestari eum oportebit  
 ante tribunal Christi, vt referat propria  
 corporis prout gessit siue bonum siue  
 malum? Quis dubitat? Quid ergo affe-  
 ctu tam sinistro in hunc hominem concita-  
 ris? Est, inquires, homo peccati, hostis Dei  
 & bonorum. Quid si esset? Ergone praeva-  
 lere Deo posset, aut Omnipotentis manum  
 vel viuus vel defunctus effugere? Ergone  
 sat virium non haberet Deus vt hunc suum  
 aduersarium tormentis dignis subijceret?  
 An leue nimis ei fore iudicium vltimum  
 autumas? An tu maiores ipsi, quàm Deus  
 vellet, optares pœnas? Si affirmas: Me-  
 mento homo vnde veneris: & scito quod &  
 tu indi-

tu indi-



PROOEMIUM.

tu indigeas misericordia Dei. Si id non optares, sed credis miserum satis eum fore, ubi ad tribunal Christi venerit; quid ni ergo tu etiam modo miserum eum censes & misericordia potius quàm odio dignum? An fortasse iustum illum esse tuum credis aut bono publico necessarium contra hunc hominem zelum? Si ita credis, ergo certis utiq; argumentis oportet probata tibi sit eius peruersitas. Putasne hoc ita se habere? Si putas; Memento eorum quæ inter Remonstrantes & Contra-Remonstrates, durante paucorum annorum dissidio, grassata sunt odia, quot maledicta? quot calumniae? quot falsi errores per mendacium aut ignorantiam imputati? Dein cogita Pontifices Romanos quot unquam hereticos Ecclesia eiecerunt, tot capitales eosq; audaces, vafros & pertinaces sibi hostes conciliaffe. An ergo credibile est hos omnes nihil illis unquam falsi imputasse, iniquas calumnias nullas intulisse, nulla eorum dicta aut scripta sinistra interpretatione violasse? Si vlla tibi sit humanarum rerum experientia, non eris ita vecors ut hoc dicere audeas. Vnde ergo aut quo iudice tibi constat, vera esse ea quæ tu contra Romanum Pontificem concepisti?

Dices

AD LECTOREM.

Dices forte confidentem te habere reum, cum istam duntaxat arguas auctoritatem eius, quam etiam nunc ego hic praedixi me ei defensurum. Ergo ne Deo putas impossibile huiusmodi quam dixi, controversias iudicandi auctoritatem Romano Pontifici conferre? Credis, opinor, Dei omnipotentiam, qua ei sit facile subito honestare pauperem. Putasne ergo certum te esse, Deum istud quod poterat, non fecisse? Audisti quid aduersarij pro tua soleant opinione producere. Non est aequi iudicis, vna tantum parte audita, sententiam subito dicere. Nunquid & tu te hominem agnoscis errori obnoxium? Quid ergo si in errorem incidisses? Et tunc non est impossibile, nisi tu te eodem gaudere privilegio, quod in illo persequeris, demonstrare possis. Si ergo hic fortassis erraueris, vide quantum ex errore malum: ovis pastorem sine causa persequeris, ab ovili Christi, extra quod non est salus, te separas, in Sponsam Agni atque adeo in Sponsum ipsum iniurius existis. An hac ergo tibi res temere videtur statuenda? Si sapis, prudentem hic consiliarium diliges: nec ideo remouebis à consilio quenquam quia forte ad affectum tuum tibi non loquatur, donec ita fueris infalli-

falli-

PROEUVIUM

fallibili ratione certus ut consilo ulterius  
nullo indigeas. Ego per eum te rogo qui ini-  
micos nostros nos iussit diligere, ut, pro sa-  
lute tua, conceptum in Romanum Pontifi-  
cem & eius oves Catholicos, odium pauli-  
per quantum potes, supprimas, rationis spe-  
culam ascendas, veritatis solius inuestigā-  
da studio in quiete & tranquillitate libel-  
lum perscruteris; non oscitanter, sed ani-  
mo maxime serio examen instituas; hoc  
sciens, conclusionem quam finito examine  
facturus es, ad animam, ad beatitudinem,  
ad aeternitatem pertinere. Quid autem  
prodest homini si uniuersum mun-  
dum lucretur, anima verò  
sua detrimentum  
patiatur?

S. Ioan-

IOANNES CHRYSOSTOMVS  
Hom. prima in epist. primam ad  
Corinth.

Ἐκκλησία, εἰ Θεὸς ἐστὶν, ἕνωται, καὶ μία ἐστὶν.  
Τὸ γὰρ τῆς ἐκκλησίας ὄνομα ἐνώσεως καὶ  
συμφωνίας ἐστὶν ὄνομα.

*Hoc est:*

Ecclesia, si Dei est, vnita est, & vna est.  
Ipsam enim Ecclesiae nomen vnio-  
nis & concordiae est nomen.

APPRO.